

A.K. 549 f.



M. 1, 256.

M. 1, 256.

H. Th. d. 125.

B. No
125.

Nürnberg. Oper.

VIRO
CLARISSIMO
SALOM. CONSTANTINO
TITIO

LIBER. ARTIVM MAGISTRO, MEDICINAE
BACCALAVREO

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES


GRATVLATVR
GODOFREDVS BENEDICTVS
SCHMIEDLEIN

MED. DOCT. ET SOCIETAT. OECONOM. LIPS.
MEMBR. HONORAR.

Inest historia Divisionis Insectorum.

DIE XXVI. MART. A. C. CI^o CCC LXXX.

LIPSIAE
EX OFFICINA KINDELIA.




ALIO
CARTANTING
TITLE

THEATRUM MUSICO-MEDICO
PRACTICARUM

ALIOM IN ARTU MUSICO MEDICO

GRATIAS

COPORERAS - MEDICAS
SCHIMMELIN



DIE XXII. MAYT. VI. C. CL. DCC. LXXV.

LIPSIAE

EX OCLIBIS LIBRARIA



et nulli ordinatus est sicutio. Tunc etiam in t
erpi de secundum partem finis eiusdem operae. Et illa
restitutione invenimus quod per hoc modum



intra in primis etiam in aliis locis. Et cum in aliis locis non minime sequitur mult
partes inter se etiam in aliis operis etiam in
corde hi pectus et amplexus non sump endit
alii. Unde in aliis operis etiam in aliis locis de
cetero inde in aliis non sump endit alii. Unde in aliis locis de
cetero inde in aliis non sump endit alii.

Vt in omni historia naturali, sic praecipue
in Entomologia, illa historiae animalium
parte, quae speciatim de Insectis agit,
Divisio ponit potest fundamenti loco secundum
principia vera scientiae instituta, fundamen
tum hocce si vacillat, totum tandem ruit ae
dificium. Sed re accuratius ponderata, non
ea ita facilis factu est, ut sibi persuadent qui
insecta obiter et ut minima et vilia animalia,
ac nonnisi rara et admiranda naturae opera
considerant. Nempe vero sufficit ex quibus
dam tantummodo characteribus qui ad dif
ferentiam generum, specierum et individuo
rum

rum pertinent, ordines determinare, ita vt
 nulla habeatur ratio an hi characteres ab ipsis
 animalium proprietatibus sint desumti, an omni
 tempore et sub quadam illis competant, ratione,
 et an, vt breuiter dicam *essentiales* sint char-
 acteres; Duplicem idcirco finem habent char-
 acteres, partim vt insecta distribuantur, par-
 tim vt cognoscantur, hinc oriuntur characteres
distributiui et cognitionis (*Eintheilungs- und Er-*
kennungszeichen), quorum priores, ex ipsa in-
 fectorum natura seu forma organorum et par-
 tium corporis essentialium sunt desumti, *po-*
steriores e contrario ab iis deriuantur proprie-
 tatis quae sunt effectus priorum, id circa
 ab externis deducuntur conditionibus: Eminentia
 characteres qui omnibus rebus creatis
 vt et insectis sunt proprii et cum quibus fere
 similitudinem quandam et dissimilitudinem
 habent, his *essentiales* seu proprie sic dicti *ef-*
entiales characteres, per quos distinguuntur et
 plus minusve vniuersales sunt, maximopere
 hi diuisionem adiuuant et faciliorem distri-
 butionem artificalem efficiunt, hinc *Ordines,*
Genera et Species oriuntur, quae nunquam et
 nullo modo separari possunt, talis diuisio ar-
 tificialis nominatur *Systema artificiale* (*künstli-*
ches System) quod in locum *systematis naturalis*
 surrogatur, in quo diuisio fit secundum simili-
 tudinem et affinitatem generum et specierum,
 sed eiusmodi systema adhuc in historia natu-
 rali vniuersa, vt et in eius partibus vt Ento-
 mologia est, desideratur. Opus autem est in-
 syste-

systemate artificiali conficiendo, ut genera et species ex natura ipsa sint deponita, quamquam in quodam systemate nouo et nostris temporibus noto et recepto contrariam inuenimus methodum. Quanto propius in distribuendis insectis ad essentiales proprietates et ad characteres ex his deriuatos accedamus, tanto melius et perfectius efficietur hocce systema, quod quidem etiam ab artificiali requiri mus systemate ut characteres sint naturales; Fundamentum id circa scientiae naturalis infectorum est cognitio subtilis et ratione instituta eorum, et systema examinat insecta secundum proprietates in his admirandas: Sed caueas quaeso, ne systematicam distributionem cum historia naturali infectorum commutes, quia prior varias proprietates horum animalculorum explorare simulque etiam historiam naturalem cognoscere nos docet. Nobis antiquioris aeui historiae naturalis scriptores euoluentibus, occurrit primum PLINIUS (*Hist. Nat. Lib. XI. c. I.*) princeps inter veteres rerum naturalium scrutatores et descriptrores, in quo vestigia diuisionis infectorum detegimus; comprobat nempe supra dictus PLINII locus, vniuersalem iamiam distributionem obseruatam esse ab hoc auctore, quamquam illa sit minus accurata et insufficiens. Post PLINIVM recentiores ut ALDROVANDVS, JOHNSTONIUS et reliqui huius sententiam et methodum sunt secuti, sed haud felici succeſſu. ANTONIUS VALISNERIUS suscepit Sae-

culo XVII., insecta in quatuor distribuere ordinates, quae diuisio aliis nititur fundamentis et characteribus. Posuit nimirum **VALISNERIVS** loca natalia et habitationis ut norma classium suarum. *Ordo primus* continet illa insecta omnia, quae in plantis viuunt et nutriuntur, ad *secundum* pertinent *ordinem*, quae in aquis fluidis et stagnantibus commorantur; *tertius Ordo* terrena continet insecta; *quartus* denique, illa quae vitam in aliis degunt animalibus. Sed quis est, qui haud primo intuitu intelligat, hancce diuisionis methodum maximopere esse insufficientem, quia characteres qui fundamentum huius systematis hypothetici faciunt mere accidentales sunt, et qui insuper viam aperiunt maioribus erroribus et involuunt in obscuritates. Post **VALISNERIVM** exortus est **SWAMMERDAMIVS**, vir de historia naturali, proeprimis vero entomologia bene meritus et scientissimus rerum indagator, qui de nouo insectorum systemate meditatus est, quod etiam in *Bibliis Naturae*, libro multo labore et diligentia conscripto proposuit. Diuisio eius vniuersalis insectorum ex *quatuor* constans *ordinibus* primo intuitu quidem videtur plana et intellectu facilima, et ab obseruationibus naturae ipsae et experimentis deducta, quia characteres differentiae magis ab idiosyncrisia et natura ipsa istorum animalculorum sunt abducti. *Primus Ordo* continet illa insecta quae nulli metamorphosi sunt obnoxia, et in natura exouo producent,

deunt, dumque viuunt alis carent, *tres sequentes* vero *ordines* varios modos metamorphoseos, qui modos sub nomine *Nymphaeum* et *Chrysalidum* noti sunt, subeunt et profundamento habentur, quibus omnia illa hexapoda annumerantur, quae post metamorphosin peractam alata fiunt, porro ea quae omnimodam experiuntur metamorphosin omnium suarum corporis partium, et denique illa, quae cutem quidem non deponunt, sed sub *nympha* formam commutant, vbi excoriatio (Häutung) paulatim absoluitur. Sed si secundum leges naturae et legitimae diuisionis accuratius hanc examinemus distributionis methodum, multi etiam hic iidemque manifesti reperientur errores, quia ordines et genera cum speciebus insectorum exinde turbantur et commiscuntur. Celeberrimus vero Anglus IOANNES RAVS in suo opere quod inscribitur *Methodus Insectorum*, Londini 1710 edito, sequutus quidem est SWAMMERDAMII methodo in diuidendis ordinibus insectorum, nisi quod genera, species et familias omnes ex pedum numero ordinauit et distinxit, quoquidem in constitutis classibus et generibus systematicam et perfectiorem distributionem expressit. Diuisit nempe RAVS omnem fere innumerabilem iusectorum exercitum in *tres ordines* generales, nimirum in *Ametamorpha*, quae nulli abnoxia sunt metamorphosi, in *Metamorpha*, quae naturalem et periodicam subeunt metamorphosin, et tertio in ea quae *simplicem* me-

A 4

tamor-

tamorphosin seu euolutionem patiuntur. In
 hac diuisionis methodo quilibet claram et ma-
 gis accuratiorem ipsius naturae cognitionem
 agnoscere potest, simulque expressos essentia-
 les characteres et insectis proprios perpetuos-
 que, hinc Celeberr. *Fabricius* (in Prolegom. Sy-
 stem. Entomol.) recte de *RATO* iudicat, cum
 affirmet: *Ratus primus descriptiones insectorum*
compositus distinctiores, at, nullo suffultus systemate
&c. IOANNES AVG. ROESEL AB ROSENHOFF ce-
 lebris et insignis ille in Germania naturae scruta-
 tor et picturae miniatae valde gnarus artifex
Norimbergensis, in Tomi Iimi Operis ento-
 mologici Anno 1746 sub titulo *Monatliche In-
 sectenbelustigungen* Proëmio, nouum ab ipso
 excoxitatum sistema distributionis insectorum
 publicauit, quod plane theoriam et leges me-
 tamorphoseos praesupponit. Omnia nimirum
 insecta in duas diuisit *Classes*, nempe in *terrena*
 et *aquatica*, de singulis eorum annotauit an
 metamorphosin subeant nec ne; CLASSIS
 IMAE ordo primus metamorphosi obnoxius, di-
 visus est in quatuor familias secundum nume-
 rum erucarum pedum, ab hexapodis vsque
 ad apodas: EIVSDEM CLASSIS secundus ordo,
 eorum quae nullam patiuntur metamorphosin,
 subdiuiditur in quinque familias ab hexapodis,
 decempedis, multipedis et apodis erucis.
 SECUNDÆ CLASSIS ordo primus consistit ex
 tribus familias insectorum aquaticorum, ab he-
 xapodis vsque ad apodas laruas; ordo secundus
 ex quinque familias, quae sine metamorphosi
 oriun-

oriuntur, quae continent larvas hexapodas, decempedas et apodas. Elegans haec diuisio Clariss. ROESELII, quamuis sua laude non sit defraudanda, in multis tamen difficultis adhuc est, atque ad entomologiae cultores instruendos haud satis idonea. Illustris et celeberrimus *Eques*, Carolus a LINNÉ, cuius laudes omni oratione sunt maiores, anno 1735 satis ingeniōse incepit totum naturae regnum in systematicum redigere ordinem, quod primum specimen quidem dispositionem et diuisionem praebet characteribus essentialibus rerum creatarum speciosam. Variae postea in universum naturae sistema animaduerstiones studio et experientia locupletatae enasci coeperrunt, equibus sistema naturae ab Celeb. LINNAEO prodiit auctum et emendatum in editione duodecima Holmiae 1766. In hoc opere facile classico LINNAEVS ingenio summo praeditus, scientiam in formam rededit systematis perfecti; genera condidit, insufficientes et ambiguoſ characteres reiecit et emendauit, rarissime autem noua genera introduxit, ne characteribus accumulatis maior oriatur confusio, praetera iis nomina dedit. Entomologia quae quintam classem totius regni animalis continet, in septem disposita est Ordines, quorum characteres ab alis, specierum vero ab habitu, forma praecipua, et quibusdam distinctis corporis partibus sunt desumpti, sic e. g. antennae earumque varia structura, mandibulae, halteres et aliae partes dant characteres

res specierum et familiarum insectorum; saepissime autem ad distinguendas familias *colore* insectorum vsi sunt entomologi, sed hic cum maxime sit accidentalis saepiusque inconstans, interdum quidem ad specierum differentias possit adhiberi, nunquam ad generum characteres adhibendus est. Ordines id circa insectorum ab alis desumti sequentes sunt: *Alae* quatuor seu *Quadripennia*, ORDO PRIMVS, *Coleoptera* continet triginta genera; SECUNDVS ORDO, *Hemiptera*, duodecim habet genera; *Lepidoptera* TERTIVM absoluit ORDINEM, tribus constans generibus; *Neuroptera* QVARTVM faciunt ORDINEM inter quadripennia, qui septem generibus constat; ORDO QVINTVS et vltimus inter insecta quatuor alis praedita quae *Hymenoptera* nominantur, decem generibus constans; SEXTVM ORDINEM LINNAEVS *Diptera* seu *Bipennia* appellat, in quo decem genera locum tenent; Vltimus omnis systematis insectorum ORDO SEPTIMVS nimirum sub nomine *Apterorum* seu absque alis et elytris ponitur, respectu generum intres familias seu partitiones diuiditur, secundum numerum pedum ab hexapodis usque ad quatuordecim pedum, et multipeda. Negan-
dum tamen non est LINNAEV M multos adhuc errores in systemate suo ipsum obseruasse, et perbene quae deficiant in characteribus genericis perspexisse, qua propter rarissime et summa cum cautione noua genera condidit. Successores Linnaei omnes, vt celeb. Godofredus

dus Gallus, (in *Histoire des insectes, qui se trouvent aux environs de Paris.* Paris 1762. 4to Tom. II.) et Schaefferus cum Scopoli vestigiis eius insisterunt, classes retinuerunt, genera et nomina tantummodo ex principio saepius leui mutarunt, auxerunt, quo ipso oritur, confusio maior et specierum determinatio et denominatio difficilior. Nostro nunc aevo
 IOAN. CHRIST. FABRICIVS, Hist. Nat. Oecon. et Cameral. Prof. P. Ord. Chilony, meritissimus discipulus Celeb. LINNAEI, amicus noster per quam dilectissimus, in *Systemate Entomologiae* 1775. Flensburgi et Lipsiae edito, nouam tentabat viam, characteres et Classium et Generum ex instrumentis cibariis depromens, satis persuasus, eos sane esse sufficientes, constantes, et generibus multae certiores notas praebere, ita ut etiam ob usum quem praebarent praestantiores essent, vel ob numerum et certitudinem characterum, quos afferrent, vel denique ob affinitatem cum characteribus reliquorum animalium a dentibus desumptis; (vid. *Fabricii, Genera insect. Chilon.* 1776. in Proleg.) Numerus insectorum in Systemate Entomologico ab eo ad quatuor mille extenditur, et adeo mille et quingenti plures inveniuntur quam apud LINNAEVM quae a FABRICIO in centum et octoginta quinque diuisa sunt genera. Sed ut accuratius systematicam celeb. FABRICII dispositionem cognoscamus, eam OCTO ORDINES habere videmus, quorum PRIMVS Eleuterata (Kiefermaeuler) 215 species

species complectens, est; SECUNDVS ORDO,
Ulonata (*Helmkiefer*) qui in sex generibus 91
 species continet. *Synistata* (*Kieferlippen*) TER-
 TIVM absoluunt ORDINEM: *Agonata* (*Kienlo-
 se*) QVARTVM faciunt ORDINEM: QVINTVS
 ORDO, *Ulnogata*, (*Hakenmaeuler*) habet, SEX-
 TVS *Glossata*, (*Zungenmaeuler*) (seu *Lepidopte-
 ra Linnæi*) continet ORDO; SEPTIMVS *Fa-
 bricii* ORDO, *Ryngata* (*Ruisselfmaeuler*) includit,
 OCTAVVS denique et vltimus ORDO, *Ant-
 liata* (*Schoepfruisselfmaeuler*) sifit, ex hoc sche-
 mate systematis Fabriciani facile magna cogni-
 tio naturae et diligentissimae obseruationes,
 auctoris patefiunt et eluent. Sub eodem
 ferme tempore quo *Fabricius* systema suum ento-
 logicum promulgauit, Viri clarissimi Dom.
 SCHIEFFERMÜLLERVS et DENISIVS in Austria
 anno 1776. ediderunt Catalogum Lepidopte-
 rorum insectorum in vicinia Vindobonensi
*(Systematisches Verzeichnis der Schmetterlinge
 der Wiener Gegend.* Wien 1776. 4to) qui li-
 ber ex vtilissimis in Austria institutis obserua-
 tionibus nouisque Lepidopteris ex laruis na-
 tis, originem duxit. Totum opus secundum
 ordinem et Systema illustr. *Linnæi* conscrip-
 ptum est, praeterea quod in diuisione Papi-
 lionum simul formae et habitus laruarum ra-
 tionem habuerunt auctores, totamque lepi-
 dopterorum cohortem in nonaginta quinque
 familias distinxerunt.

Sed


Sed his missis, ad id me conuerto cuius causae haec a me sunt scripta; Postulabat nempe iucundissima illa amicitia multos per annos confirmata, quae mihi intercedit cum Excellentissimo, Amplissimo et Celeberrimo Patre Tuo, non solum amico sed et patrono meo longe astutissimo, ut amorem et venerationem meam erga *Ipsum* declararem, cum opportunior nulla se offeri mihi vñquam potuisse occasio, quam hodie cum Summis in Arte medica honoribus condecoraberis. Per triennium enim in hac Academia versatum, semper Te ut probatissimum et imprimis diligentem atque assiduum, votisque venerandi Patris, amici mei respondentem iuuenem cognouimus, et cum ex Diuina prouidentia ipse filio sim destitutus, Te semper ut filium amauai et ad huc amor. Id circa cepi consilium hocce schediasma scribendi, Tibique tradendi, simul humaniter Te rogans, ut ne verba sed animum quo haec scripserim, in certissimum amicitiae pignus accipere velis; Intelliges, nullis verbis exprimere possum quanta afficiar laetitia quum Te dignissimum nouo hoc splendidissimo ornatum conspiciam honore. Persuasum Tibi itaque habeas, me omnia fausta Tibi apprecari, vehementerque optare ut et in posterum amicitiae *Tuae* velis me ornare. Vale.

Scripsi Lipsiae d. xxvi. Mart. A. C.
cIc Iccc lxxx.

X 231 20.34

QKTP 313

W.C.



V I R O
CLARISSIMO
**SALOM. CONSTANTINO
TITIO**

LIBER. ARTIVM MAGISTRO, MEDICINAE
BACCALAVREO

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

GRATVLA TVR
**GODOFREDVS BENEDICTVS
SCHMIEDLEIN**

MED. DOCT. ET SOCIETAT. OECONOM. LIPS.
MEMBR. HONORAR.

Inest historia Divisionis Insectorum.

DIE XXVI. MART. A. C. CCC LXXX.

LIPSIAE

EX OFFICINA KINDELIA.

